

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0205

0203

0209

0199

0214

0194

0254

0154

0304

0104

0704

Ende

Anfang

terebinthi reversi sumus cum pace in Jerusalem, et ita trans-
sivit dies illa etc.

Vicesima mane venerant ad cellam meam quatuor fratres
Conventus rogantes me, ut irem cum eis in Bethaniam. Sic
ergo profecti sumus et cum in valle Josaphat essemus, vidi-
mus de monte Syon post nos descendere caeteros dominos
peregrinos meos cum paramentis ad Missam, cumque ad nos
venissent, dixerunt, se etiam velle ire in Bethaniam, et ita
simul montem Oliveti ascendimus et ab alia parte in Betha-
niam descendimus et in ecclesiam S. Lazari super sepulchrum
ejusdem Missas celebravimus, cum magno tamen timore, quia
circumstabant juvenes Sarraceni, quos arcere ab Officiis ausi
non fuimus, et stabant respicientes in manus, ora et oculos
consecrantium; timuimus enim, ne forte alicui accideret idem,
quod cuidam fratri celebranti Missam accidit in Bethlehem,
qui dum in celebratione esset et jam panem in corpus et
vinum in sanguinem consecrasset, ecce unus juvenis Sarra-
cenus accurrit ad altare ex improviso et calicem cum sacra-
mento arripuit et sacramentum ebibit, et cum magno cachino
ad socios suos recurrat. O ignorantia damnosa, o coecitas
caliginosa, o fatuitas stulta, o temeritas praesumtuosa, o irrisio
flebilis et periculosa! Verum Domino nos protegente nihil
simile nobis contigit in illo loco, finivimus enim Officia cum
bona pace, et visitatis sanctis locis Bethaniae et montis Oliveti,
regressi fuimus in Jerusalem.

(B) Vicesima prima die mane descendi ad ecclesiam
resurrectionis Domini et ante fores dixi Officium meum et
per foramen januae ad dominicum monumentum perspexi.
Eodem hora venerunt Mauri armati cum arcubus et lanceis,
adducentes cum multis tumultibus duos homines, quos capti-
vaverant, et eos in carceres, qui stant ante atrium ecclesiae
sancti sepulchri, incluserunt. De quibus carceribus dictum
est fol. 124 B. Cum magno ergo timore steti ante ostium,
timens, ne et in me saevirent, et tam diu exspectavi foribus
inhaerens, quousque recesserunt a carceribus, quia de atrio
transire non poteram nisi prope illos. Mansi autem ibi ultra
duas horas, et ad Officium in monte Syon adscendi. Post
prandium convenerunt omnes peregrini in montem Syon et